

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XXV. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Das ist mein Trost zu aller Zeit/
In allem Creutz und Traurigkeit/
Ich weiß daß ich am Jüngsten Tag
Ohn alle Klag
Werd auferstehn aus meinem Grab.
Mein lieber frommr getreuer Gott/
All mein Gebein bewahren thut/
Da wird nicht eins vom Leibe mein/
Sey groß oder klein

Umkommen noch verlohren seyn.
Mein lieben Gott von Angesicht:
Werd ich anschau dran zweiffel ich
nicht/
In ewiger Freud und Seligkeit/
Die mir bereit/
Ihm sey Lob Preis in Ewigkeit/
Amen.

* * *

Dominica XXV. post Trinitatis.

Evangelium, Matth. 24. v. 15. 28.

EXORDIUM.

O Stendit olim Deus Ezechieli in visione *varias abominaciones domus Israel*. Adduxit enim cum Hierosolymam in templum, ibi vidit ab Aquilone portæ altaris idolum *zeli patri-familias*, in ipso introitu. Ulterius ingressus, vidit omnem similitudinem *reptilium & animalium abominationem*, & universa idola domus Israel, coram quibus steterunt septuaginta viri de senioribus domus Israel, *thuribulum* habentes in manu sua, eoque sacrificantes. Vidit quoque mulieres sedentes, *plangentes Adonidem*, Ezech. 8. v. 3. seqq.

Hæc mira visio est, in qua nobis consideranda proponitur:

1. *Idea profanationis templi externi*. Per idolum enim, quod in zelum patris-familias, Dei nempe trinunius, qui habitaculum in templo, 1. Reg. 8. 30. & quasi ignem & caminum habuit, Esa. 31. 9. erectum fuerat, Biblia Weimariensia intelligunt, *idolum Baal*, cui Manasses aras erexerat, 2. Reg. 21. 3. c. 23, 32. id abominatio erat patri-familias, qui

juxta se Deos alienos ferre nequit, Exod. 20. v. 3. Ideo inquit Elias? Usque quo claudicatis in duas partes? 1. Reg. 18. 21.

Quod vero Propheta, cum ulterius ingressus est, *omnem similitudinem reptilium & animalium* vidit, eo indicatum est, quod non uno modo idololatriam commiserint; verum sicut gentiles varia idola habuerunt, quæ divino cultu affecerunt; Ægyptii Apim, in forma vituli, Exod. 32. v. 4. Qui erant de Sepharvaim, Adramelech & Anamolech, in iii agine pavonis & muli, 2. Reg. 17. v. 31. Viri de Emath, Afima in simulacro hirci, ibid. v. 30. Moabitæ Baal-Peor, Num. 23. Palæstini Dagon in forma feminae marinae, 1. Sam. 5. v. 2. & id genus alia: Ita in omnibus fere gentiles æmulati sunt, & hoc modo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium, Rom. 1. v. 23.

Imprimis mentio hic fit *mulierum plangentium Adonidem*, qui Veneris rivalis fuit, in cujus honorem gentiles anniverfarie festa

sta luctuosa instituerunt, quæ à muneribus Judaicis quoque celebrata sunt, quo ipso Deum valde commoverunt, & occasionem præbuerunt, ut excidium urbis maturaverit, ut ex seq. 9. cap. patet.

2. *Idea profanationis templi interni.* Nam in hoc quoque variæ inveniuntur abominationes zeli patri-familias, qui Deus Spiritus Sanctus est, & templum suum merito in cordibus hominum habere debet, 1. Cor. 3, 16. ne reptilia nociva & animalia venenata in iisdem inveniuntur, qualia sunt serpentes, & genimina viperarum, Matth. 3, 7. sed omnis generis præclaræ virtutes, quæ enarrantur, Gal. 5, 22. *Hoc fit, quando non ad instar mulierum istarum Adonidem plangimus: sed super peccata nostra flemus,* Luc. 23, 23. & super omnes abominationes, quæ passim patrantur, Ezech. 9, v. 6. Simul quoque odora menta orationum offerimus Deo in odorem suavitatis. Apoc. 5, 8. cum Davide suspirantes: Domine non intres in iudicium cum servo tuo. Doce me facere voluntatem tuam, Psal. 143, v. 2. 10.

De utraque abominatione concionatur Christus in prælecto Evangelio: non enim Judæi templum externum duntaxat profanaverant per falsam doctrinam: sed tantis quoque peccatis se adstrinxerant, ut ipse Josephus scribere non dubitet: Puto, si Romani contranoxios venire tardassent, aut biatu terra devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia passuram.

Nos absque ulteriori præloquio ad ipsam Evangelii tractationem nos conficemus, meditaturi:

I. *Ἀνθρωπολογίαν, sive notitiam nostri.*

II. *Χριστολογίαν, sive notitiam Christi.*

J. J.

Exegesis.

Quemadmodum ignis egressus à Domino devoravit eos, qui cultum ejus alieni ignis oblatione profanaverant, non attento eo, quod filii Aaronis, & è stirpe sacerdotali essent, Levit. 10, 2. Ita & Dominus Sabaoth, fortis ille zelotes, in justa ira sua Judæos propter incredulitatem fregit, & excidit, ut non amplius peculium ejus sint. Hoc vero nobis exemplum factum est, ut inde bonitatem & severitatem ejus agnoscamus. In iis quidem, qui ceciderunt, severitatem: bonitatem autem in nobis, si perferimus in bonitate: alioquin & nos excidemur, Rom. 11, v. 22.

In præsentē Evangelio Servator Judæis interitum annunciavit, & abominabilem desolationem, quæ ad consummationem & finem perseverabit, Dan. 9, v. ult. & simul applicavit ad diem novissimum, qui instar fulguris irrupturus, mundoque finem impositurus est.

Notitiam nostri hinc discimus, si spectaverimus:

I. *Variam abominationem*, de qua Christus ait: Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est, à Daniele Propheta, stantem in loco sancto &c.

Quid per abominationem desolationis intelligatur, non melius replicare possumus quam si ipsum Danielem inspiciamus, ubi in fonte verba ita sonant: Cessabit hostia & sacrificium per aliam abominationum desolantem, Dan. 9, v. 27. Per aliam autem abominationum intelligitur exercitus Romanorum,

rum, quem in certas alas sive cohortes distribuerunt, sicut adhuc hodie copiarum militares ad dextram & sinistram alam ordinantur. Quod vero Propheta eum vocat *alam abominationum*, id ideo facit, quia populi ethnici erant, qui Judaicam Religionem exosi, propterea accedebant, ut Hierosolymam cum templo, imo totam regionem funditus & everterent & vastarent. Unde S. Lucas verba ita παραρρηξες: Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus, Luc. 21, 20.

Sed & certum est, Christum simul respexisse abominationes doctrinae & vitae, quae apud Iudaos invaluerant. Templum Hierosolymitanum potissimum eum in finem exstructum erat, ut pura doctrina & religio in eo exerceretur: Verum Pharisei & Scribae in speluncam latronum illud commutaverant, Matth. 21, v. 13. & propter traditiones suas mandata Dei irrita fecerant, Mat. 15, 6. ideo Christus cavere nos jubet à fermento Phariseorum, Mat. 16, 6. expresse dicens: nisi abundaverit justitia nostra plus, nos non posse introire regnum caelorum, Matth. 5, 20.

Hoc non contenti, varias quoque abominationes patrarunt, eisque desolationem sibi attraxerunt, quod ipsis Christus dilucide exprobravit his verbis: Hierusalem, Hierusalem, quae occidis Prophetas, Mat. 23.

Hic velim inspicias te & probes, utrum in desolatione miserabili, dilecta nostra Germania peccatorum tuorum abominationem in mentem tibi revocaveris, quibus non parum eam promovisti?

Si hoc quilibet fecisset, nullum est dubium quin grande illud malum vel plane averti, vel citius finiri potuerit. Quia vero id non fecimus, sed potius ligna ad ignem compor-

tavimus desolatio adeo invaluit, ut terra, quae quasi hortus voluptatis ante erat, solitudo deserta facta fuerit, Joel. 2, 3. Nam uti sementem feceris, ita & metes: ubi abominatio, ibi desolatio. Non enim est veritas, non est misericordia, Ose. 4, v. 1. 2. 3.

Imprimis vero hoc ita accidere solet, quando abominatio fiat in loco sancto, h. est, quando illi, qui verbum Dei purum & sincerum habent, & quid rectum & justum sit, norunt, malitiose eidem repugnant, velut delicti incessabiles, 2. Pet. 2, v. 14. & peccatum suum quasi Sodoma praedicant, Esa. 3, v. 9.

Genuini Christiani declinent vias perditionis & iniquitatis, in quibus filii hujus seculi ambulant, Sap. 5, 7. nec minus vias Sion sedulo frequentent, ne desolatae sint, Thren. 1, v. 3. Sed dirigant pedes suos in viam pacis, Luc. 1, v. 79. temperanter juste & pie viventes, Tit. 2, v. 12. Quo Dominus causam habeat, scissuras murorum, quae per belli tempestatem ruptae sunt, & hiscent adhuc, reaedificandi, Amos. 9, v. 11. & fracturas terrae sanandi, quae ita commota est, Psal. 60, v. 4. Ipse enim ait: Repente loquar &c. Jer. 18, v. 7. 8.

II. *Scripturae commendationem*, qui legit, ait Servator, intelligat. Et si autem hoc principaliter de Daniele intelligendum est, quem nominatenus exprimit: non tamen reliqui Bibliorum libri exclusi sunt. Omnis enim scriptura *θεσπις* & utilis est, 1. Tim. 3, 16. 17. Joh. 5, v. 39. 2. Pet. 1, v. 19.

Hic examinate, mi Christiane! utrum, ut officium tuum requirit, scripturam sacram sedulo legeris & meditatius fueris?

Hoc apprime necessarium est. Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. 15, v. 4. *Impium ergo est,*

est, si non legamus nos, quod scriptum est propter nos, ut Augustinus ait. Tales enim consilium Dei spernunt aduersus seipso, Luc. 7. vers. 30. & faciunt, ut verbum sibi fiat odor mortis in mortem, 2. Corinth. 2. v. 16.

In Papatu Laici, inter quos & Imperatores & Reges referuntur, à lectione sacrae Scripturae arcetur: Verum detestanda tyrannis hæc est, quæ non ferenda foret, verbum enim Dei ex se lux est, illuminans oculos, Psal. 19. v. 9. non autem sub modio ponenda est, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, quæ in domo sunt, Matth. 5. 3.

Hoc Dei mandatum est in genere: Verba hæc, quæ ego præcipio tibi, Deut. 6. v. 7. 8. Deinde quod Reges in specie attinet, illis mandat Deus, ut semper secum habeant librum legis, legantque illud omnibus diebus vitæ suæ, Deut. 17. 18. Ne vero quis existimet, solos Reges hoc concernere, c. 31. v. 11. hæc verba leguntur: Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Dei tui &c.

Id ipsum Judæi in familiari usu habuerunt, qui sacras literas in synagogis suis per omne sabbathum legerunt, Act. 15. v. 2.

Nobis hoc exemplum imitandum est. Beatus enim cuius voluptas in lege Domini, Psal. 1. v. 2. 3. Chrysostomus frequenter monet ad diligentem scripturae lectionem, hinc ait: *Audite obsecro, seculares omnes, comparate vobis Biblia, animarum pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum testamentum acquirite.* Et iterum: *Audite, quicumque estis mundani, & uxori præstis & liberis, quomodo vobis Apostolus mandat legere scripturas, & non leviter, nec temere: sed magno studio & diligentia.*

Ad has audiendas & meditandas gravis-

simæ causæ nos stimulare debent, est enim Scriptura sacra

1. *Cæleste armamentarium*, ex quo mille clypei pendent, omnis armatura fortium, Cant. 4. v. 4. Nos vero spirituales milites sumus, sub vexillo Christi militantes, Job. 7. v. 1. In hoc armamentario, reperimus lorica[m] iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis & gladium spiritus, quibus resistere in die malo, & omnibus perfectis stare possumus, Eph. 6. v. 13. 14. 15.

2. *Cæleste promptuarium*, quod plenum est, educens de frumento in frumentum, Psal. 144. 13. Hic mensam paratam habemus, Psal. 23. v. 5. in caque assaturam ejus agni, qui occisus est ab origine mundi, Apoc. 13. v. 8. panem vitæ, Joh. 6. v. 51. & vinum defecatum, Esa. 25. v. 6. quibus anima nostra reficitur, Psal. 119. v. 9.

3. *Cæleste pharmacopolium*, omni necessitate instructum. Nos omnes graviter laboramus, à planta pedis usque ad verticem non est in nobis integrum quiddam, Esa. 1. v. 6. Sed hic invenimus, primo, *medicamenta evacuantia*, quibus peccatis obsistitur & corda purificantur, quod fit per quotidianam penitentiam. Deus enim bonæ spei fecit filios suos, deditque locum in peccatis penitentia, Sap. 12. 19.

Secundo, *medicamenta confortantia*, nempe *oleum lætitiæ*, quod est Spiritus sanctus, Psal. 45. v. 8 qui sublevat infirmitatem nostram, Rom. 8. v. 26. unde expresse Paracletus dicitur, Joh. 6. v. 7. Deinde, *aquam perlarum* beatifici Evangelii, quod margaritis bonis comparatur, Matth. 13. v. 45. Porro *manum Christi*, quæ tempore necessitatis optima virtute pollet, Mutatio enim dexteræ Excelsi, Psal. 77. v. 11. Sed & à nostra parte, manus fidei requiritur, qua Christum

apprehendete tenemur, dicentes: Trahe me post te, Cant. 1. v. 3. Sic ille nos ad se trahet, nobisque gloriam dabit, quam ipsi pater dedit, Joh. 17, 24.

Tertio, *medicamenta præservationia*, quæ sunt flosculi

1. *Gratia Dei*, in qua unice confidere debemus. Gratia enim Dei sumus, quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10.

2. *Primula veris*: hæc oratio est, qua cor- lum recludere possumus, Jac. 5, 17. Mal. 3, 10.

3. *Semper vivum*. Hæc spes est, quæ non confundit, Rom. 5. vers. 4. Et ut verbo dicam, panacea immortalitatis, Sap. 16. v. 12.

Quis igitur non scripturas sedulo evol- veret? Quis ab Evangelicæ veritatis hosti- bus se ab iis prohibere pateretur?

Cum Palæstini Patriarchæ Isac fontes obstruxissent, non modo eosdem refodi: sed & alios fodi curavit, de quibus illi alter- cari non poterant, Gen. 26, 18. seqq.

Nos fontes habemus Israelis, qui in ver- bo Dei fluunt, Psal. 46, 1. Quando igitur infernales Palæstini adventuriunt, ad obstru- dum illos, ut ad pacem nobis amaritudo a- mara, Esa. 38, 17. neququam repelli nos pa- tiamur, sed renovemus, quos diabolus ob- struxit, cum Ecclesia identidem orantes:

Te corde quaeso supplice,

Ne semen aufer verbi.

*Ich bitt O Herr aus Herzen Grund/
Du wollst nicht von mir nehmen &c.*

III. *Aquilarum congregationem*: Ubicun- que enim fuerit cadaver, illic congregabun- tur & aquilæ. Hæc proverbialis locutio est, quam Servator ex c. 39. v. 33. Hiobi desum- sit, ubi hæc verba leguntur: Ubicunque ca- daver fuerit, statim aquila adest. Hoc Christus sibi & fidelibus suis applicat, q. d.

nos ex voto conveniemus, & ubi ego sum, ibi quoque fideles mei erunt, sicut cadaver & aquila solent conjungi.

Hic non immerito vero mireris, cur Christus cadaveri comparet se, siquidem cadaver corpus est exanime, prætereaque feedum & horrendum, unde & Judæis pro- hibitum illud tangere, Levit. 11, 21. seqq. Fa- cit id:

1. *Respectu sui*, seu ratione mortis suæ, nō quidem ut corruptioni, cui cæteri homi- nes subiecti sunt, Hiob. 17, 14. Gen. 3, 19. se adstringat, hanc enim Christus non vidit, Psal. 16, 10. Joh. 10. v. 18. Sed ut vere se mori- turum innuat. *Cadaver enim dicitur à ca- dendo*, siquidem quando anima è corpore abiit, corpus consistere nequit, sed omnes vires collabascunt: sic Christus in ligno cru- cis vere mortuus & sepultus est, Joh. 19, 28. *Quod solatio nostro inservit*. Per mortem e- nim suam mortis imperium abolvit, Heb. 2. v. 15. Die quoque novissimo, corpora nostra ut cadaver putrefacta resuscitabit, & corpori suo glorioso similia reddet, Phil. 3. v. ult.

2. *Respectu mundi*, qui ipsum tempore passionis despexit; velut cadaver abominari solemus &c. Esa. 53, 8.

3. *Respectu nostri*. Sicuti enim aquilæ ca- daveris tæctorem de longe sentiunt, & ad comedendum festinant, Hab. 2, 8. sic & pii Christiani non patiuntur se à servatore suo separari: sed delectantur in loco eo esse, ubi de passione & morte ejus prædicatur, & ubi sub pane & vino benedictis corpus ejus in cibum, & sanguis ejus in potum distribui- tur, 1. Cor. 11, 24. 25.

Hic probate, mi Christiane! an & ipse natura & ingenio aquilino præditus, debito
zelo,

zelo nec minori latitia Christo te associes, sicut aquila cadaver desiderant!

Hoc debitum nostrum omnino requirit.

Aquila in Germanica lingua à nobilitate (Adler vom Adel) denominatur, quia volucris nobili genere est, unde etiam à Poetis Jovis ales dicitur, quem reliquis avibus Regem præfecerit.

Sic de Christianis dici potest, quod flos generis humani sint, quia eos Christus elegit de mundo, Joh. 15. v. 19. Hinc Petrus: Vos estis genus electum, 1. Ep. c. 2. vers. 9.

Sicut igitur Christus egregiis privilegiis nos ornavit, tanquam Reges & Sacerdotes, Apoc. 1. v. 6. Ita aquilam imitari debemus in iis quæ Christianismo nostro convenient.

1. *Ratione habitacionis.* Aquila non in terra nidificat: sed elevatur, & in arduis ponit nidum suum Job. 39. 30. Sic veri Christiani, quæ super terram sunt, despicientes, quærunt quæ sursum sunt, ubi Christus est, Col. 3. v. 1. Phil. 3. v. 21.

2. *Ratione visionis.* Aquila acie oculorum pollens, irretortis oculis solem inspicit: sic & veri Christiani unice Christum intuentur, qui sol est justitiæ, Mal. 4. v. 2.

3. *Ratione odoris.* Aquila minus cadaveris odorem percipiens ad volat, Job. 9. v. 26. Sic & pii Christiani Servatorem suum quærant oportet, ubi inveniri potest, nimirum in Ecclesia, ubi est memoria nominis ejus, Exod. 20. 24. Jer. 29. 14. Matth. 11. 28.

4. *Ratione renovationis.* Aquila seipsum decalvat, & deplumat, ut novæ pennæ succrescant, Mich. 1. v. 15. & ita renovatur juvenus ejus, Psalm. 103. vers. 5. Sic veri Christiani deponunt veterem hominem, & renovantur spiritu mentis suæ, Eph. 4. 22.

Sic nova creatura fiunt, 2. Cor. 5. vers. 21. 2. Cor. 5. 17. 1. Pet. 1. 14.

5. *Ratione pullorum curationis.* Aquila super pullos volitat, & expandit alas suas, Deut. 32. 11. potatque eos sanguine, Job. 39. 33. Sic pii parentes liberis suis bonis exemplis præeunt, & cavent, ut quid videant, & audiant, quo scandalizentur, Matth. 18. 6. educant eos in disciplina & admonitione Domini, Eph. 6. 4. adducunt eos ad sacram coenam, ut cibentur & potentur corpore & sanguine Jesu Christi, Joh. 6. 51.

Videte dilecti! eò collineat Christus, quando semet cadaveri, & fideles suos aquilis comparat. Idcirco operam dare debemus, ut hæc omnia fideliter faciamus, sic aliquando ascendemus velut aquilæ, Esa. 40. v. ult. è peregrinatione in patriam cœlestem Phil. 3. 20. è lacrymarum valle in sinum Abrahamæ, Luc. 16. 22. ubi abundantia gaudiorum. Psal. 16. v. ult.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *περὶ τῆς ἑτέρας*, sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

1. *Tanquam electorum confirmator.* Hic ipse indicat, Pseudo-prophetas sub mundi finem in tanta frequentia adventuros, ut dicturi sint: Alius hic est Christus: Alius, illic erit; alius in deserto, in penetralibus est, nec tamen electos suos seducturos esse.

Per electos non simpliciter omnes credentes intelliguntur, inter illos enim multi sunt, qui ad tempus tantum credunt, Luc. 8. 13. sed illi qui usque ad finem perseverant, Matth. 10. v. 32. Hæc enim gratia ab æterno aliter non facta est, nisi *καὶ πρὸς τὸν θεὸν ἡμεῖς πιστεύωμεν*, 1. Pet. 1. v. 2. vi hujus prævisionis cre-

Ggg 2 den-

dentis ad vitam æternam prædestinavit, incredulos vero reprobavit. Hinc Paulus ait, electionem factam esse in Christo, ante jacta fundamenta mundi, Eph. 1, 1.

Univerfum genus humanum immersum fuit peccatis, & consequenter morti & condemnationi æternæ, id diabolus effecerat, Sap. 2, 24. Quod si igitur Deus juxta rigorem justitiæ nobiscum agere voluisset, non inique egisset, si nos in perditione reliquisset. Sed gratia ejus prævaluit. Sic enim dilexit mundum &c. Joh. 3, 16. Hic nemo plane exclusus est. Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, Ezech. 33, 11. Christus quoque quod potuit, præstitit, & pro omnibus mortuus est, 2. Cor. 5, 15 etiam pro impiis, 2. Pet. 2, 1. quin quotidie emissis servis suis clamat: omnes sitientes, venite ad aquas, Es. 55, v. 1.

Quod si igitur omnes homines Christum vera fide amplecterentur, & ita dilectionis Dei, quæ sola est in Dilecto, Eph. 1. v. 6. ejusque sanctissimi meriti, quod pro peccatis totius mundi præstitit, 1. Joh. 2, 2. participes evaderent, omnes Deo grati & accepti essent, ideo clamat: Respicite ad me, & salvi eritis omnes fines terræ, Esa. 45, 22.

Quia vero ab æterno prævidit Deus, quod multi id facere nolint, sed potius declinaturi sint in vias suas curvas, Psal. 125, v. ult. Deum petram oblivioni tradentes, Deut. 32, v. 18. imo plene rejicientes, uti Judæi, Luc. 19. 14. invitum sane eum cum paucis contentum esse oportuit, & ex innumero mundi numero eos excerpfit, quos in filium suum credituros, & in fide ad finem perseveraturos esse, prævidit, quo Paulus collineat, dicens: Quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri, &c. Rom. 8. v. 29.

Ejusmodi electos conservat Deus, ne deficiat fides eorum, Luc. 22, v. 32. & licet cadant, ut Aaron, Exod. 32, 4. David, 2. Sam. 11, v. 4. Petrus, Matth. 26. v. 70. tamen resurgunt, & virtute Dei custodiuntur ad salutem. 1. Pet. 1, v. 5.

Ita processit ab origine mundi & adhuc hodie non aliter procedit, dum in Cimæriis illis tenebris Pontificiis multi adhuc electi inveniuntur, quorum genua non incurvata sunt, ante Baal, 1. Reg. 19, 18. Potissimum *tot millia infantum*, qui aqua in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, juxta Christi institutionem conspersi, hoc ipso à peccatis mundati & abluti sunt, ideo Christus illos maximos in regno cælorum pronunciat, Matth. 18, v. 4. *Huc simplices quoque pertinent*, qui decalogo, symbolo Apostolico, oratione Dominica, Baptismo & cœna Domini innitentes, hoc modo fidem suam sustentant, de his Salomo: Qui simpliciter ambulat, confidenter ambulat, Prov. 10, v. 9.

Pertinent huc multa millia eorum, qui in conspectum non incurrunt. Filia enim Regis exterius nigra, Cant. 1, 5. sed omnis gloria ejus ab intus est, Psal. 45, 14. Id Deo absconditum non est. Firmum enim fundamentum Dei stat, quo Deus novit suos, 2. Tim. 2, v. 19. Die novissimo manifestabit eosdem, & à dextris suis sistet, Matth. 25, 34. ut quilibet videat, quid intersit, inter justum & impium, Mal. 3, v. ult.

II. *Tanquam tribulationis abbreviator.* Propterea ait: Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter Electos breviabuntur dies illi.

Hoc de obsidione Hierosolymitana literaliter intelligendum est q. d. Christus: Nisi Deus inter Judæos electos suos haberet, nul-

nullus homo in arctissimâ illâ obsidione servaretur, sed omnes bello, fame, & pestilentia pereundi essent. Verum propter electos, quos Deus inter illos esse prævidit, obsidio illa citius desinet, quàm aliàs desineret, ut multi ita in vitâ conserventur, & ab interitu præserventur. Sæpè enim Deus beneficiorum piorum & impios consortes facit, uti in Sodomitis videre est, qui ad intercessionem Abrahamæ non perditii fuissent, modò decem iusti in civitate fuissent, Gen. 18. v. 32.

Ita, quod abbreviationem dierum attinet, illa quoque obsidionem respicit, quæ intra quinque menses ad finem perducta fuit. Quarto enim Aprilis die, Titus, Imperatoris Vespasiani filius obsidionem cœpit. Octavo verò Septembris, urbem occupavit: ubi ex adverso Nebucadnezar biennium ferè in obsidione & occupatione ejusdem consumperat, 2. Reg. 25. v. 1. seqq. Jer. 52. v. 4. seqq. Ideò dixit Titus, ubi munitissimam urbem post expugnationem spectavit: Deo adjuvante pugnavimus, qui detrahit Iudaos ab istis munitioibus. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad illam valerent?

Hoc idè factum, ut Christus hic ait, ne omnes perirent, sed aliqui in vitâ conserverentur. Deus enim nos omnia creavit, in numero, pondere, & mensura, Sap. 11. 22. sicut igitur unumquodq; numeravit, ponderavit, & demensus est, ita manebit, nec quisquam addere vel detrudere quicquam poterit. Fidelis est enim, non patiens ququam tentari supra id quod potest, 1. Cor. 10. vers. 13.

Pharao Israëlitas penitus extirpatos voluit: verum Deus abbreviatis ærumnæ diebus, eduxit eos validâ manu ex servitute,

ipse verò in mari rubro suffocatus est, Exod. 1. & seqq.

Sic Antiochum contra Judæos immaniter savientem, vermibus corrosus è medio sustulit, 2. Macc. 9. v. 9.

Idem adhuc dies miseriarum nostrarum abbreviabit, & à tyrannide impiorum liberabit, quod si non citius, certè tamedie novissimo faciet: Justum enim est apud Deum reddere iis, qui affligunt nos afflictionem, 2. Thess. 1. v. 6. 7.

III. *Tanquam adventus sui designator.* Describit enim cum sub imagine fulguris, inquit: Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usque in occidentem, ita & adventus &c.

Fulgur ex improvise prorumpit, & in momento evanescit: Sic & Servator subito in consummatione seculi irrupturus est, quando securitas hominum maxima erit, ad eundem modum, quo Sodomitæ pluviam sulphuræa obruti sunt, Gen. 19. v. 24. 25. Esa. 66. vers. 15.

Quando fulgur apparet, tonitru sequi solet, quando verò fulgur prærupturum sit, id nobis non constat. Ita exploratū est, quod Christus ad iudicium venturus sit, de die autem illa, vel hora, nemo scit, Marc. 13. 32. hoc pater posuit in sua potestate, Act. 1. 7. ut singulis momentis parati simus, similes servis expectantibus Dominum suum, Luc. 12. v. 37.

Hoc sæpè quidem pro concione inculcatur, sed plurima pars in securitate degit, & aestimat, quasi mera fulgura ex pelvi, ut merito querela Esaiæ locum habeat: Quis credit auditui nostro? Esa. 53. v. 1. Verum ut fulgur subito clucescit: similiter & ille veniet, qui præfractos peccatores penam afficiet: Quod si igitur hoc momento ingruet:

ret Dominus, quod facile fieri posset, quid responsum es ei, cui respondere non poteris unum de mille. Job. 9. v. 3.

Diluvium factum est quadraginta diebus, tamdiu enim multiplicatae sunt aquae, dum quindecim cubitis altior fuerit aqua, super montes, quos operuerat, interea multi potuerunt poenitentiam agere, & gratiam implorare, Gen. 7. 7. sed dies extremus veniet ut fulgur, in momento ad tribunal Christi vocaberis, si dixerit malus servus in corde suo: moram facit Dominus meus venire, &c. Matt. 24. 48. seqq.

Hac memento mi Christiano! noli superbe de te sentire, sed time, Rom. 11. v. 20. *Quod si fulgur exhorrescimus, & hoc ipso ad devotionem & preces impellimur*, ut Deus ab incendio & fulminis laesione nos custodire velit: Quam magis memoria adventus Domini timorem filialem in nobis excitare, nosq; ad preces inflammare debet.

Sicuti enim fulgur lumine suo per noctem omnia lucida reddit; quae tenebrae operuerant: sic & dies novissimus illuminabit abscondita tenebrarum, 1. Cor. 4. 5. inò tam rigorosa ratio requiretur, ut justus vix sal-

vetur, impius ergo & peccator ubi parebit? 1. Pet. 4. 18. Ideo causam habemus quoq; ut cum metu & tremore salutem nostram operemur, Eph. 2. 12. Beatus enim, qui semper est pavidus, Prov. 28. 14.

Attamen desperare non debemus, sed meminisse, *quod iudex frater noster sit*: ideo non omnia ad amissum exiget, nec ex rigore nobiscum aget: sed ut Iosephus fratribus suis culpam remisit, & terram Gessen tradidit, in qua in abundantia vixerunt, Gen. 47. 6. & lux eis fuit, cum horribiles tenebrae univrsam Aegyptum operuissent, Exod. 10. vers. 22.

Sic & caelestis Iosephus nos gratiosè velut fratres suos recipiet, & in regionem vivorum introducet, Ps. 118. 9. ubi dabit nobis petitiones cordis nostri, Ps. 37. 4. nempe vitam & abundantiam, Joh. 10. 10. ibi non occidet sol, & luna non minuetur, Esa. 60. 20. Dominus enim sol & clypeus erit, daturus gratiam & gloriam, ut non priventur bonis, qui ambularunt in innocentia, Psalm. 84. vers. 12.

Id quod nobis Deus ex gratia largiri dignetur, propter Christum, Amen.

Dominica XXVI. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 25. v. 31. --- 46.

EXORDIUM.

INter alia *praclara elogia*, quae Servatori nostro in sacris literis assignantur, non postremum est, quod appellatur *El Gabor*, *Deus fortis*, Esa. 9. v. 6. item, *Vir pugnator*, Exod. 15. v. 3. nec non *fortis heros in praelio*, Psalm. 24. v. 8.

Non autem uno modo nobis se representat: sed modò accingitur gladio suo super femur suum, Psalm. 45. v. 4. modò de ore eius gladius exit, Apoc. 1. 16. modò manu tenet, & acuit ad perdendum, Psalm. 7. 13.

Hac idea est, in qua videmus, quo Deus
Vid. part. 1. p. 225. in